

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Orationum Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

M Tvllii Ciceronis Pro M Fonteio Oratio XI

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)

M. TULLII. CICERONIS PRO. M. FONTEIO

ORATIO. XI

Desunt permulta.

Hoc praetore oppressam esse aere alieno Galliam. a quibus uersuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? a Gallis? nihil minus, a quibus igitur a ciuibus R. qui negotiantur in Gallia? cur eorum uerba non audimus? cur eorum tabulae nullae proferuntur? insector ultero, atque in isto accusatori, iudices, insector, inquam, & flagito testes. plus ego in hac causa laboris, & operae consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis. audacter hoc dico, iudices, non temere confirmo. refert a Gallia negotiatorum est, plena ciuium R. nemo Gallorum sine ciue R. quidquam negotij gerit: nummus in Gallia nullus sine ciuium R. tabulis commouetur. uidete, quo descendam, iudices, quam longe uidear a consuetudine mea, & cautione, ac diligentia discedere. inae tabulae proferantur, in quibus uestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fonteio datam: unum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant: uere accusatum esse concedam. pro diu immortalis, quae hac est causa? quae defensio? provinciae Galliae. M. Fonteius praefuit, quae constat ex ijs generibus hominum, & ciuitatum, qui, ut uetera mittam, partim nostra memoria bella cum populo R. acerba, ac diuturna gesserunt; partim, modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis, ac monumentis notati, modo ab senatu agris urbibusque multati sunt; partim, qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerunt, multoq. eius sudore; ac labore sub populi R. imperium, ditionemq. ceciderunt. Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi R. ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum, & obiectum. est item urbs Massilia, de qua ante dixi, fortissimorum, fidelissimorumq. sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula a populo R. copijs, armisq. propulsarunt. est praeterea numerus ciuium R. maximus, atque hominum honestissimorum. Huic provinciae, quae ex hac gentium uarietate constaret, M. Fonteius, ut dixi, praefuit: quierant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex ijs agris, quibus erant multati, decedere coegit: ceteris, qui iccirco magis saepe erant bellis superati, ut semper populo R. parerent, magnos equitatus ad ea bella, quae tum in toto orbe terrarum a populo R. gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tollerandum im-

perauit. Haec qui gessit, in iudicium uocatur: nos, qui in re non interfuistis, causam una cum praetore cognoscitis, dicunt contra, quibus inuicissimis imperatum est: dicunt, qui ex agris ex M. Fonteij decreto decedere sunt coacti: dicunt qui ex bello, caede, & fuga nunc primum audent contra M. Fonteium inermem consistere. Quid coloni Narbonenses, quid uolunt? quid existimant? hunc per uos uolunt, se per hunc incolumes existimant esse. Quid Massiliensium ciuitas? hunc praesentem ij affecit honoribus, quos habuit amplissimos. nos autem absens orat, atque obsecrat, ut sua religio, laudatio, auctoritas aliquid apud uestros animos momenti habuisse uideatur. Quid est ciuium R. quae uoluntas est? nemo est ex tanto numero, quin huc optime de provincia, de imperio, de socijs, de ciuibus meritum esse arbitretur. Quoniam igitur uideris, qui oppugnent M. Fonteium; cognoscitis, qui defensum uelint; statuite nunc, quid uestra aequitas, quid populi R. dignitas postulet: utrum colonis uestris, negotiatoribus uestris, amicissimis atque antiquissimis socijs & credere, & consulere malitis; an ijs, quibus neque propter iracundiam fidem, neque propter infidelitatem honorem habere debetis. Quid si maiorem etiam hominum honestissimorum copiam assero, qui huius uirtuti, atque innocetiae testimonio possint esse? tamen ne plus Gallorum consensio ualebit, quam summa auctoritas omnium? Cum Galliae Fonteius praefisset, scitis, iudices, maximos populi R. exercitus in duabus Hispanijs, clarissimosq. imperatores fuisse. quam multi equites R. quam multi tribuni militum quales, et quot, & quoties legati ad eos? exercitus praeterea Cn. Pompeius, maximus, atque ornatissimus, hiemauit in Gallia, M. Fonteio imperante. Satis ne uobis multos, satis idoneos testes, & conscios uideretur ipsa fortuna esse uoluisse earum rerum, quae, M. Fonteio praetore, gerebantur in Gallia? quem ex tanto hominum numero testem in hac causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui uobis auctor placeat? eo nos iam laudatore, & teste utemur. Dubitabit is etiam diutius, iudices, qui illud, quod initio uobis proposui, uerissimum sit? aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi ut, M. Fonteio oppresso, testimonijs eorum, quibus multa, reip. causa, inuicissimis imperata sunt, sequiores posthac ad imperandum ceteri sint, cum uideant eos oppugnari, quibus oppressis populi Romani imperium incolume esse non possit.

EXPLANATIO

HOC praetore oppressam esse aere alieno Galliam. & cuius aeris alieni causam in Fonteij rapinas Galliconferabant: unde orta repetundarum accusatio. A QUIBVS uersuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? & confutatio. nam, si oppressa est hoc praetore aere alieno Gallia, unde pecuniam tantam sumplit? Uersuram facere, est, pecuniam ab aliquo accipere, quam alteri dicit. & quia datam Fonteio pecuniam a Gallis, dicebat accusator: unde, inquit Cicero, tanta pecunia sumpta est: sic lib. II. in Verrem: Eos homines uersuram a Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent. Quo perspicue intelligitur,

relegitur, qui Verri pecuniam dare cogentur, eos illam pecuniam a Carpinatio sumpsisse. NEGOTIATORVM, & Praeter publicanos, qui postea nominantur, ciues Romani multi negotiabantur in Gallia. COLONORVM, & ut Narbonensium, de quibus infra. ARATORVM, pecuariorum, & hi sunt publicani. tertium genus portiores non nominant, quod eo fortasse uectigali ante Fonteium praetorem Gallia caruisset: itaque portorium uini a Fonteio institutum querebantur. NOSTRA memoria & eorum memoria, qui tum senes uiuebant, de Gallis triumphauerat M. Fuluius Flaccus anno urbis DCXXX, C. Sextius Caluinus, & Cn. Domitius Ahenobarbus DCXXXI, Q. Fabius Max. DCXXXII, C. Marius, Q. Catulus DCLII. AGRIS, urbibusq. multati & colonijs in Galliam deductis. NARBO Martius & accepto nomine ab eo, qui deduxit; Q. Martio Rege consule DCXXXV. ATQVE & non abundat haec copula, sed ciuibus Romanis honestatem addit. non enim sequitur, ut, quicumque sit ciuis Romanus, idem sit honestissimus. QUI proximi fuerant, & hostes. MULTATI, & a senatu. IN TOTO ORBE & duo praecipue bella significat, unum contra Sertorium in Hispania, ducibus Q. Metello Pio, & Cn. Pompeio, alterum contra Mithridatem in Asia, duce L. Lucullo. EX AGRIS & supra: Eos ex ijs agris, quibus erant multati, decedere coegit. HUNC per uos uolunt, & incolumen esse. PER HUNC & per huius aequitatem, ac uirtutem. LAUDATIO & legatos & coloni Narbonenses, & Massiliensium ciuias miserat, qui Fonteium in iudicio laudarent. COLONIS & Narbonensibus. NEGOTIATORIBVS & ciuibus Romanis. SOCIIS & Massiliensibus. QUAM summae auctoritatis omnium? & subaudi, consensio, & pro, Omnium, placet, Hominum. IMPERATORES & Q. Metellum Pium, Numidici filium, & Cn. Pompeium. LEGATI ad eos? & missi a Fonteio ad eos exercitus. QUI VOBIS auctor placeat? & cui fidem habendam putetis.

O R A T I O

OBIECTVM est etiam, quaestum M. Fonteium ex uiarum munitione fecisse: ut aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum esset, ne improbareret. Si & coacti sunt munire omnes, & multorum opera improbata sunt: certe utrumque falsum est, & ob uacationem pretium datum, cum immunis nemo fuerit; & ob probationem, cum multa improbata sint. Quid, si hoc crimen optimis hominibus delegare possimus, & ita, ut non culpam in alios transferamus, sed uti doceamus, eos isti munitioni praefuisse, qui facile officium suum & praestare, & probare possunt? tamen ne uos omnia in M. Fonteium, iratis testibus freti, conferetis & cum maioribus reip. negotijs M. Fonteius impediretur; & cum ad remp. pertineret, uiam Domitiam munire: legatis suis primarijs uiris, C. Anno Bellieno, & C. Fonteio negotium dedit. itaque praefuerunt, imperauerunt pro dignitate sua, quod uisum est, & probauerunt. quod uos, si nulla alia ex re, ex literis quidem uestris, quas scripsistis, & missis, & allatis, certe scire potuistis: quas si antea non legistis, nunc ex nobis, quid de ijs rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. L. M. AD. C. ANNIVM. LEG. AD. C. FONTEIVM. LEG. L. A. C. ANNIO. LEG. AB. C. FONTEIO. LEG. Satis opinor esse perspicuum, iudices, hanc rationem mutationis neque ad M. Fonteium pertinere, & ab ijs esse tractatam, quos nemo possit reprehendere. cognoscite nunc

de crimine uinario, quod illi inuidiosissimum, & maximum esse uoluerunt. Crimen a Plaetorio, iudices, ita constitutum est; Fonteio non in Gallia primum uenisse in mentem, ut portorium uini institueret, sed in Italia, hac proposita ratione, Roma profectum: itaque Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas uim amphoras portorij nomine exegisse Croduni Porcium, & Munium ternos uictoriatos, Vulchalone, seruae umbinos & uictoriatos mille. atque in his locis se Croduni & Vulchalone ab his portorium esse exactum, si qui Cobiomacho, qui uicus inter Tolosam, & Narbonem est, diuerterentur, neque Tolosam ire uellent: Eleiodolus tantum seruos denarios ab ijs, qui ad hostem portaret, exegisset. Video, iudices, esse crimen, & genere ipso magnum: uectigal enim esse impositum fructibus nostris dicitur: & pecuniam per magnam ratione ista cogi potuisse confiteor, & inuidiam: uel maxime enim inimici hanc rem sermonibus diuulgare uoluerunt. sed ego ita existimo, quo maius crimen sit id, quod ostendatur esse falsum, hoc maiorem ab eo iniuriam fieri, qui id confingat. uult enim magnitudine reus occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditus ueritati relinquatur.

Desiderantur, quae de crimine uinario erant reliqua, nec non quae ad bellum Voconcorum, & dispositionem hibernorum pertinebant.

E X P L A N A T I O

OB VACATIONEM & ne munire cogentur. DATVM & Fonteio. Hoc crimen & quod aduersarij crimen esse uolunt. Similiter infra: Cognoscite nunc de crimine uinario. NOMINIBVS & causis. DELEGARE & alijs attribueret. VIAM Domitiam & quam Cn. Domitius proconsul in Gallia strauerat. QVOD uos & alloquitur aduersarios. NOSTRIS, & quibus causam nostram tuemur. EXSCRIPSTIS, & ut exemplum earum esset apud uos. CRODVNI & nomen loci, ut Vulchalone, Cobiomacho. BINOS & uictoriatos M. & lege, Binos uictoriatos: mendi nihil supererit. VICTORIATUS binis, HS denarius quaternis ualebat. ELEIODOLVS & malim, Eleiodolum: & infra, Exegisse. ut cum superioribus congruat. FRACTIBVS nostris & sociorum nostrorum: quorum fructus in nostra potestate sunt.

O R A T I O

AT hoc Galli negant. actio rerum, & uis argumentorum coarguit. potest igitur testibus iudex non credere? cupidus, & iratus, & coniuratus, & ab religione remotus non solum potest, sed etiam debet. etenim si, quia Galli dicunt, iccirco M. Fonteius nocens existimandus est: quid mihi opus est sapiente iudice? quid aequo quaesitore? quid oratore non stulto? dicunt enim Galli: negare non possumus. hic si ingeniosi, & periti, & aequi iudicis has partes esse existimatis, ut, quoniam quidem testes, dicunt, sine ulla dubitatio ne credendum sit: salus ipsa uirorum fortium innocentiam tueri non potest. sin autem in rebus iudicandis, non minimam partem ad unamquamque rem existimanda, momentoq. suo ponderanda sapientia iudicis tenet: nae multo uestrae maiores, grauioreq. partes sunt ad cogitandum quam ad dicendum meae. mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, uerum etiam breuiter interrogandus, & saepe etiam non interrogandus, ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido auctoritas attributa esse uideatur. uos & saepius eadem rem animis agitare, & diutius uno quoque de teste cogitare potestis. & si quem nos interrogare uoluimus; quae causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. quamobrem, si hoc iudici praescriptum lege, aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio iudice melior, aut sapientior existimetur. unum est enim, & simplex aurium iudicium, & promiscue, & communiter stultis, ac sapientibus ab natura datum. quid est igitur ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor, & credulus ab religioso, & sapienti iudice? nimirum illud. in quo ea, quae dicuntur a testibus, cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi aequitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonae, quanta cura, quanto timore dicantur. an uero uos id in testimonijs hominum barbarorum dubitabitis, quod per saepe & nostra, & patrum memoria sapientissimi iudices de clarissimis nostrae ciuitatis uiris dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Caepionibus, L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium, hominem nouum, non crediderunt: quorum uirtuti, generi, rebus gestis fidem, & auctoritatem in testimonio cupiditatis atque inimicitarum suspicio derogauit. e quem hominem ui-

dimus, e quem uere commemorare possumus parem consilio, grauitate, constantia, ceteris uirtutibus, honoris, ingenij, rerum gestarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse? tamen huius, cuius iniuriati nutu prope terrarum orbis regebatur, iurati, testimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum est. noluerunt ij, qui iudicabant, hanc patere inimicitijs uiam; quem quisque odisset, ut eum testimonio posset tollere. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimonij auctoritatem habebat, testimonio ipso, quae in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus diuinum, ac singulare, iudices, consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur, quid factum, quid fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe, aut metu deprauiatum, quid a cupiditate aliqua aut inimicitijs profectum uideretur. quae si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo, ac mente circumspiciet; si, ut quid que ex illo loco diceretur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profecto satis erit id, quod dixi antea, non surdum iudicem huic muneri, atque officio praesse: nihil erit, quamobrem ille nescio quid, sapiens homo, ac multarum rerum peritus, ad res iudicandas requiratur. an uero illi equites R. quos nos uidimus, qui nuper in rep. iudicijq. maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent: uos Vulgarum, atque Allobrogum testimonijs non credere timeris? Si inimico testi credi non oportuit: inimicior Marcello Crassius, aut Fimbriae Scaurus ex ciuilibus studijs, atq. oblectatione domestica, quam huic Galli? quorum, qui optima in causa sunt, equites, frumentum, pecuniam semel, atque iterum, ac saepius inuitissimi dare coacti sunt: ceteris, partim ex ueteribus bellis agro multati, partim ab hoc ipso bello superati, & oppressi. Si, qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere uidentur, ijs credi non conuenit: credo, maius emolumentum Caepionibus, & Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeij damnatione, cum studiorum suorum oblectatorem sustulissent, quam cunctae Galliae ex M. Fonteij calamitate in qua illa prouincia prope suam immunitatem, ac libertatem positam esse arbitratur.

EXPLANATIO

COARGUIT. Gallos. **NON credere?** argumentum pro Gallis, confutatio proxime sequitur. **QUAESITORE?** praetore, qui de repetendis quaerit. **NON stulto.** modeste de se ipso. **DICUNT enim Galli.** obiectio: quam proxime sequitur solutio. **SALVS ipsa** sumptum ex Terentij Ad. In qua fabula sunt haec:

-- Ipsa si cupiat salus,

Seruare proflus non potest hanc familiam.

Similiter in Verrem lib. III. Eequod iudicium Romae tam dissolutum tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te salus seruare posset? **DUBITABITIS,** testimonijs eorum credendum non esse. **CN. ETQ. Caepionibus,** & fratribus, Seruiliae gentis: quorum Cnaeus consul fuit cum hoc ipso, in quem testimonium dixit, Q. Pompeio, anno urbis DCXII. Quinctus anno sequenti cum C. Laelio. **L. ET Q. Metellis** L. Merello Caluo, qui consul fuit DCXI, Q. Merello Macedonico, consule DCX, **Q. POMPEIUM, hominem nouum,** lib. V. in Verrem: Q. Pompeius, humili, atque obscuro loco

loco natus, nonne plurimis inimicitijs, maximisq. suis periculis, ac laboribus amplissimos honores est adeptus? Pro Murena: Nec mihi, umquam minus in Q. Pompeio, nouo homine, & fortissimo uiro, uirtutis esse usum est, quam in homine nobilissimo M. Aemilio. In Bruto: Q. Pompeius, non contemptus orator, qui summos honores homo per se cognitus, sine ulla commendatione maiorum adeptus est. Is igitur Pompeius gesto iam consulari, accusatus repetundarum, cum in eum duo Caepiones fratres, consulares, & duo item Metelli fratres, consulares, accerrime testimoniam dixissent, absolutus est. Valerius Max. lib. IIX. cap. 5. CONSTANTIA, & qua maxime Scaurus uirtute excelluit. unde illud in epi. ad Lentulum: In quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem uiram constantia, & grauitate superasset. Eiusdem constantia laudatur act. I. in Verrem. HONORIS, & consul, censorq. fuit. INGENIUM, & ualuit eloquentia, qua sibi gloriam peperit, cum primo dubitasset, honores peteret, an argentariam faceret: ut est in libro de uir. ill. RERVM GESTARUM, & triumphauit consul de Liguribus, uiam Aemilianam censor strauit: ut in eodem libro. NEQVE IN C. Fimbriam, neque in C. Memmiam, & utrumque de repetundis accusatum, auctore Valerio Max. lib. IIX. cap. 5. Fimbria cum C. Mario consularum gessit. L. CRASSO, & oratore summo. PUDOR, & lib. I. de Orat. Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor: qui tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset. M. MARCELLVM, & Valerius Max. lib. IIX. cap. 5. FUIT, fuit illis iudicibus, & mira uis est geminato eodem uerbo in principio sententiae, ut pro Milone: Est, est profecto illa uis. FORTUNA, ac tempore, & eius, qui accusaretur, calamitate, ac tempore difficillimo. UT QUIDQ. ID, & pro, ut quidque. quod qui ignorarunt, pro, Quidquid, sine causa reposuerunt. Quidque exempla non delunt. lib. IV. in Verrem: Ita odorabantur omnia, & peruestigabant, ut, ubi quidquid esset, aliqua ratione inuenirent. Quo loco plura diximus. Ex illo loco, & ab aduersarijs: ad quos, haec dicens, digitum intendebat. QVOD DIXI ANTEA, & dixit hoc: Quid mihi opus est sapiente iudice, & QVOS NOS UIDIMUS, & iudices, ex lege C. Gracchi, ante Sullam dictatorem. VILGARVM, & pars Galliae in ea prouincia, cui Fonteius praefuerat. Volgas Caesar appellat lib. I. bel. ci. sunt autem Allobrogibus finitimi. Belgae uero longe distant, nec tum erant in ditione populi Romani. QVI OPTIMAM CAUSAM SUNT, & qui leuiore habent causas, cur Fonteio inimici sunt. SVAM IMMUNITATEM, & queritur enim, praeter cetera, uini portorium a Fonteio primum institutum.

O R A T I O

AN, si homines ipsos spectare conuenit, id quod in teste profecto ualere plurimum debet, non modo cum summis ciuitatis nostrae uiris, sed cum infimo ciue R. quis quam amplissimus Galliae comparandus est? scit Induciomarus, quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore, quo nostrum unusquisque, cum in eum locum productus est, recordamini, iudices, quanto opere laborare soleatis, non modo quid dicatis pro testimonio, sed etiam quibus uerbis utamini, ne quod minus moderate positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum uerbum esse uideatur. uultu denique laboratis, ne qua significari possit suspicio cupiditatis: ut & cum proditis, existimatio sit quaedam tacita de uobis pudoris, ac religionis; & cum disceditis, ea diligenter conseruata, ac retenta uideatur. credo haec eadem Induciomarum in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primum illud uerbum consideratissimum nostrae consuetudinis, Arbitror, quo nos etiam tunc utimur, tum ea dicimus iurati, quae comperta habemus, quae ipsi uidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. uerebatur enim uidelicet, ne quid apud uos populumq. R. de existimatione sua deperderet; ne qua fama conserueretur eiusmodi, Induciomarum, talem uirum, tam cupide, tam temere dixisse: non intelligebat, se in testimonio nihil praeter uocem, & os, & audaciam neque eiuis suis, neque accusatoribus nostris praestare debere. An uero istas nationes religione iuristrandi, ac metu deorum immortalium in testimonijs dicendis commoueri a bitramini? quae tantum a ceterarum gentium suis bella suscipiunt, istae contra omnium religiones: illae in bellis gerendis ab dijs immortalibus pace,

ac ueniam petunt, istae cum ipsis dijs immortalibus bella gesserunt. haec sunt nationes, quae quondam tam longe ac suis sedibus Delphos usque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terrae uexandum, ac spoliandum profectae sunt. ab iisdem gentibus, sanctis, & in testimonio religiosi, obsesum Capitolium est, atque ille Iuppiter, cuius nomine maiores nostri sanctam testimoniorum fidem esse uoluerunt. postremo, istis quidquam sanctum ac religiosum uideri potest, qui, etiam si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostijs eorum aras, ac templa funestant, ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere uolauerint. quis enim ignorat, eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolatorum? quam obrem, quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine facillime posse placari? Cum his uos testibus uestram religionem coniungetis? ab his quidquam sancte, aut moderate dictu putabitis? hoc uestrae matris, tam castae, tam integrae, sibi suscipient, ut, cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam uenerunt, omnes equites R. qui in illa prouincia fuerunt; omnes negotiatores eius prouinciae, denique omnes, in Gallia, qui sunt socij populi R. atque amici M. Fonteium incolumem esse cupiant, iurati priuatum & publice laudent, uos tamē Gallis credere malitis? quid ut secuti esse uideamini? uoluntatem ne hominum? grauior igitur erit hostium uoluntas, quam ciuium? an dignitatem testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos acquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis mercenarios gratulatis, impios, religiosos, inimicissimos huic imperio, ac nominis, bonis,

nis, ac fidelibus & socijs, & ciuibus anteferre? An uero dubitatis, iudices, quin in sitas inimicitias isti ae gentes omnes & habeant, & gerant cum populo R. nomine? sic existimatis eos hic sagatos, brachatosq. uersari animo demisso, atque humili, ut solent ij, qui affectu iniurijs, ad opem iudicum supplices inferioresq. confugiunt? nihil uero minus, hi contra uagantur laeti, atque erecti passim toto foro, cum quibusdam minis, & barbaro atque inmani terrore uerborum. quod ego profecto non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus uobiscum simul, iudices, audissem; cum praecipere, ut caueretis, ne, hoc absoluto, nouum aliquod bellum Gallicum concitaretur, si M. Fonteium, iudices, in causa deficerent omnia; si turpi adolescentia, uita infami, magistratibus, quos ante oculos uestros gessit, conuictis uirum honoru testimonijs, legationibus flagitiose obitis,

inuisus suis omnibus in iudicium uocaretur, si in eo iudicio colonorum populi R. Narbonensium, fidelissimorum sociorum, Massiliensium, ciuium R. omnium testimonijs tabulisq. premeretur: ramen esset uobis magnopere prouidendum, ne quos ita afflictos a uestris patribus maioribusq. accepissetis, ut contemnendi essent, eos pertriuuisse, & eorum minis & terrore commoti esse uide remini. nunc uero, cum laedat nemo bonus, laudent omnes uestri ciues, atque socij, oppugnent ij, qui saepissime hanc urbem, & hoc imperium oppugnarunt; cumq. inimici M. Fonteij uobis, ac populo R. minentur, amici, ac propinqui supplicent uobis: dubitabitis, non modo uestris ciuibus, qui maxime gloria, ac laude ducuntur, uerum etiam exteris nationibus, ac gentibus ostendere, uos in sententijs ferendis ciui parcere, quam hosti cedere, maluisse?

EXPLANATIO

SCIT Induciomarus, & is fortasse, quem in Treuitorum ciuitate principē Caesar appellat lib. V. bel. ci. ARBITROR, & testes, licet iurati, nihil tamen affirmabant, arbitrari se dicebant. id Cicero plane docet in Lucullo, in extremo. VEREBATUR enim uidelicet, & ironia. quod enim alij testes apud nos uereri solent. is nihil prorsus tale uerebatur. Non intellegebat, & hic ironia est. maxime enim intelligebat, se & suis ciuibus, qui Romam contra Fonteium uenerant, & accusatoribus Fonteij, satis esse facturum, si uocem, os, & audaciam ad testimonium dicendum attulisset. DELPHOS usque & nota historia ex Liuiō, Iustino, Pausania. SANCTIS, & in testimonio religiosjs & aperta ironia. VSQVE ad hanc diem? Caesar lib. VI. ILLO triennio & diximus iam, per triennium Galliae Fonteium praefuisse. GALLIS credere malitis? sic malo, quam, ut alijs placere uideo, Cum Gallis iurare. SAGATOS, brachatosq. ex Gallia transalpina: nam in cisalpina togis utebantur, unde togata Gallia. Brachas uero Narbonensis Galliae proprias fuisse, auctor est Plinius. LAEDAT & uituperet, id enim est, Laedere: & sequitur, Laudet, ut contrarium. quo modo & Phil. III. Nam me iisdem edictis, nescit, laedat, an laudet, supra de hoc uerbo diximus.

ORATIO

MAGNA mebercule causa, iudices, absolutio- nis cum ceteris causis haec est, ne qua insignis huic imperio macula, atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, senatum, equitesq. populi R. nō testimonijs Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem iudicasse. ita uero, si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Induciomaro isti minaci, atque arroganti par in belligerando esse possit: excitandus Cn. Domitius, & Q. Maximus, qui nationem Allobrogum, & reliquias suis iterum armis conficiat, atque opprimat: aut, quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus M. Plaetorius, ut suos nouos clientes a bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos, atque horribiles impetus deprecetur: aut, si non poterit, M. Fabium subscriptorem eius rogabimus, ut Allobrogū animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen amplissimum, ut uelint isti aut quiescere, id quod uicti ac subacti solent, aut, cum minantur, intelligere, se populo R. non metum belli, sed spem triumphi ostendere. quod si in turpi reo patiendum non esset, ut quidquam isti se minis profecisse arbitrarentur: quid faciendum, uobis in M. Fonteio arbitrarentur? de quo homine, iudices, (tam enim mihi uideor hoc, prope causa duabus actionibus perorata, debere dicere) de quo uos

homine, iudices, ne ab inimicis quidem ullum scilicet pro brosum non modo crimen, sed ne maledictum quidem audiistis. equis umquam reus, praefertim in hac uitae ratione uersatus, in honoribus petēdis, in potestatibus, in imperijs gerēdis, sic accusatus est, ut nullū probrū, nullū facinus, nulla turpitudine, quae a libidine, aut a petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore obijceretur, si non uera, atque amen facta, cum aliqua ratione, ac suspitione? M. Aemilium Scaurum, summum nostrae ciuitatis uirum, scimus accusatum a M. Bruto. existant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illū ipsum Scaurum esse dicta, falso, quis negat? uerum tamen ab inimico dicta, & obiecta. Quā multa M. Aquilius audiuit in suo iudicio: quam multa L. Corraēdenique P. Rutilius? qui etsi damnatus est, mihi uidetur tamen inter uiros optimos, atque innocentissimos esse numerandus. ille igitur ipse, homo sanctissimus, ac temperantissimus, multa audiuit in sua causa, quae ad suspitionem stuprorum, ac libidinem pertinerent. Exstat oratio hominis, ut opinio mea fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi, atque eloquentissimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia, ac flagitiosa dicuntur: at in quem uirum & qui tanta uirtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem inuenire nequam nemi

mem posses, solus tamen Frugi nominaretur. quem cum in concionem Gracchus uocari iuberet; & uiator, quae reueret, quem Pisonem? quod erant plures: cogis, me, inquit, dicere inimicum meum Frugi. is igitur uir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset; qui uno cognomine declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset; tamen in falsam, atque iniquam proborum insimulationem uocabatur. M. Fonteius ita duabus actionibus accusa-

tus est, ut obiectum nihil sit, quo significari uestigiū libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. non modo nullum facinus huius protulerit, sed ne dictum quidem aliquod reprehenderunt. quod si aut quantam uoluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenij non meliore fortuna ad probra nunc audienda Fonteius, quā illi, de quibus antea commemorari fuisset.

EXPLANATIO

MPLAETORIVS, & Fonteij accusator. SVOs novos clientes & per iocum haec dixit. nam clientes Fabiorum, quod a Q. Fabio Max. deuicti essent, Allobroges erant. infra, & Sallustius in Catil. ID QVOD uicti ac subacti solent; & quod alioqui non solent. A. M. BRUTO. & iuriconsulto, accusatio nibus dedito, propterea de eo dixit Cicero in lib. de clar. orat. In quo magnum dedecus, Brute, fuit generi uestro. M. AQUILLIVS & accusatus de repetundis a P. Lentulo, eo, qui senatus princeps fuit: ut in Diuin. Fuit alter M. Aquillius ipse de repetundis, sed post multos annos, accusatus, nec a P. Lentulo, sed a L. Fusio; ut lib. II. Off. & in Bruto. atque hic posterior Aquillius is est, quem cum defenderet orator ille summus M. Antonius causā prope perorata, tunicam eius a pectore abscidit, ut citatrices populus Romanus iudicesq. adspicerent aduerso corpore exceptas. quae de re lib. V. in Verrem. L. COTTA & de repetundis accusatus ab Africano minore; ut in Diuin. in orat. pro Murena, apud Valerium Max. lib. II. X. cap. 1. P. RUTILIVS & Rufus, qui consul fuit cum Cn. Mallio. is cum in Asia quaestor Q. Mucij Scaeuolae prouinciam ab iniurijs publicanorum defendisset, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est; & cum redire posset uictore Sulla, equitibus inimico exulare maluit, ne contra leges fecisse uideretur. In Pisonem, in Bruto: Valerius Max. lib. II. cap. 10. lib. VI. cap. 4. Aconius in Diuin. & pro Scauro, epitome Liuiana lib. LXX. QVI ERSI damnatus est. & hoc dicit, quia ceteri, quos supra nominauit, Scaurus, Aquillius, Cotta, absoluti sunt. Ac libidinem & alij legunt Libidinum. utraque lectio sensum habet. L. PISONEM & qui cum consul fuisset quo anno Tib. Gracchus occisus est, postea C. Gracchi legem frumentariam dissuasit. Tuscul. III. AD PROBRA non audienda & ideo meliore fortuna uitur Fonteius, quam Scaurus, Aquillius, Cotta, Rutilius, quia illi probra audierunt, hic non audit.

ORATIO

FRUGI igitur hominem, indices, seugi, inquam, & in omnibus uitae partibus moderatum, ac temperantem, plenum pudoris, plenum officij, plenum religionis, uideris positum in uestra fide, ac potestate, atque ita, ut commissus sit fidei, permixtus potestati. uidei igitur, utrum sit aequus, hominem honestissimum, uirum fortissimum, ciuem optimū dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus, an reddi amicis, praesertim cum tot res, sint quae uestris animis pro huius innocentis salute supplicent; primum generis antiquitas; quam Tusculo, ex clarissimo municipio, profectam, in monumentis rerum gestarum incisam, ac notatam uidemus; tum autem continua praeturae, quae & ceteris ornamentis, & existimatione innocentiae maxime floruerunt; deinde recens memoria parentis, cuius sanguine nō solum Asculanorum manus, a qua interfectus est, sed totum illud sociale bellum macula sceleris imbutum est; postremo ipse cum in omnibus uitae partibus honestus, atque integer, tum in re militari cū summi consilij, & maximi animi, tum uero usu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominum, qui nunc sunt, exercitatus. Quare, si etiam monendi estis a me, indices, quod non estis; uideor hoc leuiter pro mea auctoritate uobis praecipere posse, ut ex eo genere homines, quorum cognita uirtus, industria,

felicitas in re militari sit, diligenter uobis retinendos existimeris. fuit enim maior talium uirorum in hac rep. copia: quae cum esset, tamen eorum non modo saluti, sed etiam honori consulabatur. quid nunc uobis faciendum est, studijs militaribus apud iuuentutem aboleatis, hominibus autem ac summis ducebus partim aetate, partim ciuitatis discordijs hac reip. calamitate consumptis, cum tot bella aut a nobis necessario suscipiantur, aut subito atque improuise nascantur, non ne & hominem ipsum ad dubia reip. tempora seruandum, & ceteros studio laudis, ac uirtutis inflammandos putatis? recordamini, quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit: scietis fuisset tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullam, praetorios homines, belli gerendi peritissimos, praeterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulum, P. Craßum, non literis homines ad rei militaris scientiam; sed rebus gestis ac uictorijs eruditos. age uero nunc inferte oculos in curiam, introspicite penitus in omnes reip. partes: utrum uideris, nihil posse accidere, ut tales uiri desiderandi sint; an, si acciderit, eorum hominum copia populum R. abundare? quae si diligenter attendetis, profecto, indices, uirum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum ac disciplinam

In Orationem pro M. Fonteio. 299

nam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunamq. felicem, domi nobis ac liberis uestris retinere, quam inimicissimis populi R. nationibus, & crudelissimis tradere, & condemnare, maletis.

EXPLANATIO

In monumentis rerum gestarum incisam, & in marmoribus incisam, in quibus, & rerum a Fonteijs ge-
 rum, & antiqui generis memoria exstaret. **CONTINVAE praeturae**, & in Fonteiorum familia. sed
 oratorie dictum, Continuae, pro, fere continuae. nam huius Fonteij pater in legatione obiit, praeturam
 nondum adeptus. **PARENTIS**, & belli socialis initio Q. Seruilius proconsul ad sedandos motus Aseu-
 lum profectus cum legato Fonteio, omnibusq. Romanis ciuibus est interemptus. epitome lib. LXXXII.
CIVITATIS discordijs, & ciuilibus bellis. **IN BELLO** & sociali, exorto L. Iulio, P. Rutilio cos. L. IV-
 LIVS, & nominat duorum annorum consules, primi Iulium, & Rutilium, & secundi Catonem, & Pom-
 peium. **C. MARIUM**, & post praetorios nominat consulares. nam & Marius, & Didius, & Catulus, &
 Crassus ante bellum sociale consulatum gesserunt. **P. DIDIVM**, & pro P. repofui T. ex lapidibus Capi-
 tolinis. **Q. CATVLVM**, & si consulatum ratio habeatur, Catulus post Marium statim collocandus
 fuit. **NON litteris** & eruditum tamen Catulum fuisse, in oratorijs libris, & in Bruto Cicero significat.
VD CASVM, fortunamq. felicem & felicitas in imperatore consideratur. uide pro lege Manilia. **CON-**
DEMNARE, & non uideo, cur Faernus, contra ueteres omnes libros, Condonare, maluerit, quam,
 Condemnare.

ORATIO

At infestis prope signis inferuntur, Galli in Fonte-
 ium, & instant, atque urgēt summo cum studio,
 summa cum audacia: nos uero iudices, non & multis,
 & firmis praesidijs, uobis adiutoribus, isti immani, at-
 que intolerandae barbariae resistemus? Primum obij-
 citur contra istorum impetus. *Macedonia, fidelis &
 amica populo R. prouincia: quae cum se, ac suas urbes
 non solum consilio, sed etiam manu Fonteij conseruatā
 esse dicat; ut illa per hunc a Thracum aduentu ac de-
 populatione defensa est, sic ab huius nunc capite Gallo-
 rum impetus, terroresq. depellit. Constituitur ex altera
 parte ulterior Hispania: quae profecto non modo reli-
 gione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam
 sceleratorum hominum periuria testimonijs, ac lauda-
 tionibus suis refutare. Atque ex ipsa etiam Gallia, si-
 delissima, & grauiissima, auxilia sumuntur. uenit huic
 subsidio misero, atque innocenti Massiliensium cūcta ci-
 uitas: quae non solum ob eam causam laborat, ut huic,
 a quo ipsa seruata est, parem gratiam referre uideat-
 tur, sed etiam, quod ea condicione, atque eo fato se in
 ijs terris collocatam esse arbitratur, ne quid nostris
 hominibus istae gentes nocere possint, Pugnāt pariter
 pro salute M. Fonteij Narbonensis colonia: quae per
 hunc ipsa nuper obsidione hostium liberata, nūc eiusdē
 miserijs, ac periculis commouetur. Denique, ut oportet
 bello Gallico, ut maiorum iura, moresq. praescribūt,
 nemo est ciuis R. qui sibi uila excusatione utendum pu-
 tet omnes illius prouinciae publicani, agricolae, pecua-
 rij, ceteri negotiatōres una animo M. Fonteium, atque
 una uoce defendunt. Quod si tantas auxiliorum no-
 strorum copias Induciomarus ipse despexerit, dux Al-
 lobrogum ceterorumq. Gallorum; nū etiam de matris
 hūc complexu, leuissimae, miserrimaeq. feminae, uobis
 inspectantibus auellet, atque abstrahet? praesertim cū
 uirgo Vestalis ex altera parte germanum fratrem com-
 plexa teneat, uestramq. iudices, ac populi R. fidem im-
 ploret: quae pro uobis liberisq. uestris tot annos in dijs
 immortalibus placandis occupata est, ut ea nunc pro sa-
 lute sua fratrisq. sui animos uestros placare possit. cui*

*miseria quod praesidium, quod solatium reliquum est,
 hoc amisso? nam ceterae feminae gignere ipsae sibi prae-
 sidia, & habere domi fortunarum omnium lociū par-
 ticipemq. possunt: huic uero uirgini quid est, praeter
 fratrem, quod aut iucundum, aut earum esse possit? no-
 lite pati, iudices, aras deorum immortalium, Vestaeq.
 matris, quotidianis uirginis lamentationibus de uestro
 iudicio commoneri. prospicite, ne ille ignis aeternus,
 nocturnis Fonteiae laboribus uigilijsq. seruatius, sacer-
 dotis Vestae lacrymis extinctus esse dicatur. tendit ad
 uos uirgo Vestalis manus supplices easdem, quas pro
 uobis dijs immortalibus tendere consuevit. caueat, ne pe-
 riculosum, superbumq. sit, eius uos obsecrationem repu-
 diare, cuius preces si dijs aspernarentur, haec salua esse
 non possint. Videtis ne subito, iudices, uirum forti-
 simum, M. Fonteium parentis, & sororis comme-
 moratione lacrymas profudisse? qui numquam in acie
 pertimuerit, qui se armatus saepe in hostium manum
 immiserit, cum in eiusmodi periculis eadem se solatia
 suis relinquere arbitraretur: quae suus pater sibi reli-
 quisset; idem nunc perturbato animo pertimescit, ne
 non modo ornamento, & adiumento non sit suis, sed
 etiam cum acerbissimo luctu dedecus aeternum miseri-
 ris, atque ignominiam relinquat. O fortunam longe di-
 sparem, M. Fonteij, si diligere potuisses, ut potius telis
 tibi Gallorum, quam periurijs intereundem esset. tum
 enim uitae socia uirtus, mortis comes gloria fuisset: nūc
 uero qui est dolor & uictoriae te, atque imperij poenas
 ad eorum arbitrium sufferre, qui aut uicti armis sunt,
 aut inuitissimi paruerunt? a quo periculo defendite, iu-
 dices, ciuem fortem, atque innocentem: curate, ut no-
 stris testibus plus, quam alienigenis credidisse uideami-
 ni, plus saluti ciuium, quam hostium libidini consuluisse;
 grauiorem duxisse eius obsecrationem, quae uestris sacris
 praesit, quam eorum audaciam, qui cum omnium
 sacris, delubrisq. bella gesserunt. postremo prospicite,
 iudices, id quod ad dignitatem populi R. maxime perti-
 net, ut plus apud uos preces uirginis Vestalis, quam
 minae Gallorum ualuisse uideantur.*

E X P L A N A T I O

MACEDONIA, ꝛ uidetur Fonteius in Macedonia, & Hispania legatus fuisse. nam quaesturae nulla mentio. legationes autem supra nominantur. sic Fonteij probitatem, ac uirtutem utraque prouincia cognouit; & in eius periculo testes, laudatoresq. Romam misit. A *quo ipsa seruata est*, ꝛ contra re liquorum Gallorum arma. nam Fonteium cum Gallis pugnasse, supradictum est: idq. mentio compro bat Narbonensis coloniae, a Fonteio obsidione liberatae. *Ut oportet bello Gallico*, ꝛ quo uacationes non dantur. Phil. IIX. *Vlla excusatione* ꝛ uenerunt omnes ad hoc iudiciũ, solliciti de Fonteij salute. **PUBLICANI**, ꝛ quattuor genera commemorat ciuium Romanorum. **MATRIS** ꝛ quae supplexaderat in iudicio, ex altera parte soror Fonteij, uirgo Vestalis. *Pro salute sua*, ꝛ sita in salute fratris. **VESTRAE** ꝛ qua pro uobis, liberisq. uestris assidue sacra facit. *Eadem solatia* ꝛ decus, & honestae mortis memo riam. **Suus pater** ꝛ cum Asculi pro patria mortem oppeteret.



O R A T I O

IN . ORATIONEM . CICERONIS
PRO . A . LICINIO . CAECINA
P A V L L I . M A N V T I I
C O M M E N T A R I V S



A R G V M E N T V M



HERES uxoris suae Caesennae A. Licinius Caecina Volaterranus, fundum repetit a Sex. Aebutio, qui, uiua Caesennia, cum eius cognitor esset, in auctione fundum illum emerat, nec tamen ante obitum Caesenniae possederat; ea uero mortua, statim in eum tamquam suum, uenerat. Caecina, cum in rem praesentem ex conuentu cum amicis uenisset, ut de fundo moribus deduceretur, ui hominibus armatis repulsus ac prohibitus, impetrat a praetore interdictum de ui hominibus armatis, ut, unde deiectus esset, eo restitueretur. Aebutius contra deiectum esse negat, eiectum ait. inde oritur quaestio de uerbis interdicti, aliter ea Cicerone, aliter Aebutio interpretante: in eo facta sponsio est. de quo sic in Oratore: Tota mihi causa pro Caecina de uerbis interdicti fuit. Haec pro argumento sufficiant. non enim totam orationem in argumentum includere, consilium est. Acta causa est apud recuperatores a praetore datos, incertum quo anno, sed omnino post Aureliam legem, iudicijs inter tres ordines communicatis: quod factum esse constat Pompeio & Crasso primum cos.

